

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER VIGESIMUS TERTIUS
DE AERE.

Hactenus equidem, partim sola ratione, quia sensus eo non pertingerent; partim censum solo visu quia eo reliqui non attingerent, et a visu ducta ratione, philosophati sumus. Deinceps ad reliquos sensus proprius accedamus. Et secundum eos, et ab eis ductis rationibus philosophemur.

Aeremque primo loco contempleremus, qui inani similis, nostra omnia, et tangit, et circundat, et etiam penetrat. Et in quo, praeter visum, etiam tactum, et auditum, et gustum, et olfactum exercemus. In eoque continue versamur. Aerem ergo qui sensibus omnibus, et rationi cognitus est, speculemur. Et quid sit videamus, et quantus et qualis, et quas vires habeat, et quas edat actiones, et quas, et a quibus patiatur passiones, et qua mundi regione sit, et quo pertingat, et quid in se vel compræhendat, vel admittat consideremus. Et si quid tale aliud, in natura eius reperiatur cognoscamus. Itaque a primo propositorum capitum initium facientes, quid aeris essentia sit inquiramus. Et quare ab æthere differat, discernamus. Inter philosophiæ huius initia, Aerem e quatuor diaphanis corporibus posuimus secundum, cum primum æther esset, aqua tertium, quartum aqua. Et quia diaphanus sit, et perspicuus, non minus quam æther poetæ multi cum æthera vocarunt, neque alterum ab altero distinxerunt. Alii eum pro æthere, quasi cum eo idem esset posuerunt, inter quos ipse sapientiæ pater Zoroaster, dum canit.

Τὸν ὄλον κόσμον:

Ἐκ πυρὸς, καὶ ὑδάτος, καὶ γῆς, καὶ παντοτρόφου αἰθρῆς.

“Universum mundum: (constituit)

Ex igne, et aqua, et terra, et omnia alente, æthere.”

Et alius sapientiæ Græcæ pater Orpheus cecinit.

Πῦρ καὶ ὑδωρ, καὶ γῆ, καὶ αἰθὴρ, νὺξ τε καὶ ἥμαρ.

“Ignis et aqua, et terra et æther, noxque et dies.”

Uterque ignem pro cœlo ponens, æthera, pro aere, iisdem et verbis, et verborum ordine. Aliis quoque philosophantium non paucis visum, eandem substantiam aerem esse cum æthere, perspicuitatis ni fallor, et transparentiæ similitudine ducti. Sicut enim per ætheris diaphanitatem astra noctu cernimus, et interdui Solem et lunam, sic per eandem transpicuitatem quæ in aere est, et hæc eadem perspicimus, et alia quæ intra Lunam sunt, ignes, cometas, colores, nubes, et similia. Eadem ergo in utrisque, et aere, et æthere actio, easdem arguit vires, eadem vires, eandem quoque essentiam. In eadem Plinius fuit sententia, dum vult inter terram cœlumque, eodem, spiritu pendere septem sidera, quæ ab incessu, vocamus errantia. Cœlum nunc vocans, quod aera ignium summum, unde tot stellarum colluentium illos oculos. Itaque aer, et æther nihilo inter se differunt. Alii differre valde asserverunt. Eo quod æther et loco aeri superster, et natura. Quæ incorruptibilis, et immortalis sit, et toto et partibus in æthere; in aere vero, si non toto, saltem paribus corruptionem patiatur. Distinctio quoque Zoroastri, triplicis ætherei mundi, et triplicis hylæi, idem videtur voluisse. Nam in hylæo uti sæpe iam vidimus, primum posuit aerem, et sub eo aquam atque terram. Ocellus quoque scripsit.

Ιθυὸς γαρ ἀθανασίας, καὶ γενέσεως, ὁ περὶ τὴν σελὴν δρόμος. Τὸ μὲν γαρ ἀνωθεν ὑπερ ταῦτης πᾶν, καὶ τὸ ἐπαναυτὴν θεῶν κατέχει γένος. Τὸ δ' ὑπὸ κάτω σελὴνης, νείκους καὶ φύσεως.

“Sepes enim est immortalitatis, et generationis, cursus Lunæ. Nam quod supra ipsam est, et ad eam pertingit, Deorum tenet genus. Quod vero infra Lunam, contentionis et naturæ est locus.”